



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1846

CCXLVII. Papst Benedict VII bestätigt das Benedictiner Mönchs-Kloster zu
Arneburg, wahrscheinlich im Jahre 980.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54572)

U r k u n d e n.

CCXLVII. Pappi Benedict VII bestätigt das Benedictiner Mönchs-Kloster zu Arneburg, wahrscheinlich im Jahre 980.

Benedictus episcopus, seruorum dei seruus. Creditae speculationis in pellitur cura ac ardore cristianae religionis et studio diuini cultus permonemur pro uenerabilium locorum praecogitare stabilitate atque deo seruientium securitate, qualiter animae cristo dicatae, quae se illi diebus uitae eorum seruire decreuerunt, perseuerent imperturbatae nec non et illa maneant sine tenui firma, quae a cristianis in dei laude constructa sunt. Dilectus ac spiritalis (sic) filius noster sanctae sedis apostolicae dignissimus aduocatus piissimae memoriae Otto imperator semper augustus, limina apostolorum digna deuotione uisitans, ac nobiscum plurima de statu sanctae religionis tractans, retulit quendam locum arnaburch dictum in honore sanctae Mariae semper uirginis sanctique thome apostoli cum congregatione monachorum regulam sancti benedicti obseruantium constructum in ripa fluminis albiae in pago beleheim in comitatu thitmari situm, in suum suscepisse mundiburdium, Quem uidelicet locum a quibusdam dei fidelibus, Brunone uidelicet eiusque coniuge friderun nominata tradita praefatae ciuitatis arnaburch et totius praedii ad ipsam respicientis dimidia parte et addito totius proprietatis suae iure in locis slauonice clenobie, teutonice seuerouinkil nuncupatis et in thormarcon, quicquid ibi habuerunt, et in heretbergun et uico nunna cum aeclesia ibi constructa et in rondestorp et in Waddingo dimidia parte, quicquid ibi habuerunt, et in aliis plerisque locis, quae per singula longum narrare est, in quibus tunc oportune uidebatur, a fundamento comperimus esse inceptum, Quorum petitione eundem locum ac congregationem cum cunctis attinentiis, ut praefatus sum, in suum se suscepisse professus est mundiburdium. Huic loco ac congregationi paratam stabilitatem a nobis donari expostulauit; cui petitioni assensum praebentes nostra apostolica auctoritate statuimus, ut idem locus tali iusticia ac libertate deinceps perfruatur, qualem alia tenent monasteria, quae in illis partibus nostro priuilegio roborata iuri ac mundiburdio domini nostri imperatoris uidentur esse subiecta. Addidimus namque liberam electionis confirmationem, ut quocienscunque euenerit, quod pater monasterii uitam praesentem mutauerit, deum timentem patronum securam inter se eligendi habeant potestatem, imperatorem defensorem appellent et ipse inter se praelecto abbati procuracionem commendet. Statum religionis episcopus, in cuius diocesi stat, si integer sit, perquirat ac huic si forte labatur corrigendo assit; ceterum de seruicio aliquo immunem relinquat ipsum locum. Aduocatum de illorum progenie, qui locum primitus construxere, si in bonum fauere uoluerint, eligant; sin autem, quod absit, uim aut incommodum inferre moliuntur, timentem deum et stabilitati fauentem ibi ubi sibi placet secure perquirant.

Hec tantum de priuilegio uobis conscribere uolui, ut praedia abbaciam respicientia scire possitis; clausulam sub anathematis ratione prolatam dimisi.

Aus dem Liber priuilegiorum S. Mauricii in Magdeburg. Bl. 4.